DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-primâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVI,

M. RAIMUNDO DE LA RIVIERE, Doctore Medico, Præſide.

An à frequentiori & inconſulto fonticulorum uſu, malum?

I.

NTER morbos, qui diuturno tempore corpus humanum miſerè afficiunt, nonnullæ ſunt ſpecies, quibus tollendis eradicandiſque nec univerſalia nec peculiaria conducere valent medicamenta. Ea eſt enim humorum, undè iſti naſcuntur, indoles ut per cutis poros, ductum inteſtinalem, urinæ vias, aſperam arteriam, per naturalia demùm quæcumque emunctoria propelli nequeant. Quidam ex iis mobiles à viſcere in viſcus, ab intimis partibus in exteriores, quinetiam ab his in illas facili mutatione transferuntur; quidam viſcoſi & tenaces organo, cui primitùs incubuêre, firmiſſimè adhærent. Alii tentamen artis conſtanter eludunt, aliis quandoque ſupremum præſtat præſidium Chirurgia, utilis Medicinæ ſurculus, naturæ adjutrix & interdum æmula. Ut enim non raró natura ad purgandos abceſſus viam ruptâ cute ejiciendo puri ipſa patefacit; ſic artificiales aperire licet fonticulos, quorum ope nociva materies amandari queat. Felices, quibus optatam reſtituit hæc curandi methodus ſanitatem! ſed quàm paucis proſperè ſuccedit! Quinimò plurimos ad citiorem devocat perniciem. Cauſam ſi quæſieris, ab incautâ frequentiorique remedii applicatione pendet. Ubique prædicantur fonticuli, in quovis ferè morbo aperiuntur, ſæpiſſimè abſque ullo ægrotantis commodo. Quid mirum ſi paucioribus abigendis humoribus inſerviunt, cùm non eadem ſit omnium qualitas, non eadem mobilitas, non eadem natura! Præterea requiritur nonnulla morbi naturam inter & remedii actionem relatio, quæ ſi deficiat, aut periculum imminet, aut nulla ſperanda ſanatio. Sunt autem quidam humores, qui per fonticulorum ſentinas abeunt; plures tamen hoc modo pelli ſe non patiuntur. Quæ diverſitates, expoſitâ priùs fonticulorum hiſtoriâ, mox patebunt.

II.

A Medicinæ incunabulis artificialia excitata fuêre in corpore humano ulcera. Olim cauterio dicto actuali, id eſt, ferro candente tantùm utebantur veteres, ut humorem averterent noxium, qui nunc apertis diverſimodè fonticulis elicitur. Triplici methodo Chirurgia fonticulos perficit, nempè igne, cauſtico, ſecante inſtrumento. Vel enim ferro candente admoto comburitur cutis & vulnus inflictum ſuppuratoriâ inungitur materiâ, donec reſolutâ cruſtâ piſum immitti queat; vel meliùs, cauſtica tum vegetabilia, tum mineralia parti vulnerandæ applicantur ſpleniis & faſciis cohibenda. Thymelæa ex vegetabilibus deprompta rejicitur à plurimis, quia ſæpiùs eſt renovanda, dolorem perpetuò parit parcamque promovet ſuppurationem. Inter mineralia præponuntur acidum nitri, & lapis cauſticus. Si calamum aquâ forti intinctum cuti appreſſeris, quæſitam ſubitò corroſionem excitaveris. Cæteris frequentiùs uſurpatur lapis cauſticus, qui ne partem rodendam latiùs deferat, in foramine glutinoſi em-

plastri priùs applicati retinetur; altero emplastro suprà posito & fasciis pariter stabilito. Solvuntur vincturæ nunc citiùs nunc tardiùs pro citiori tardiorive caustici actione. Ubi crusta ab ulcere secedit, in ipsum immittitur vel pisum vel globulus ex iridis radice aliâve substantiâ, modo sit iners & humiditati magis impervia, confectus, quo partium adunatio præpediatur. Cauterium illud abundantiori dat locum suppurationi, nec iisdem, quibus cætera, laborat incommodis. Tertia methodus instrumentum secans admittit; scilicet cæsim cutis dividitur; pisum dein in recens vulnus introductum emplastro contegitur; quibus bis in die renovatis, pus brevi elapso tempore ab ulcere stillat.

Non omittenda sunt setacea in contusionibus, vulneribus præcipuè à sclopeto inflictis tantoperè celebrata. Ab aliis discrepant fonticulis, tum quia duplici gaudent orificio, tum quia pisi loco linteolum unguento imbutum in vulnere continuò fovetur, & quia citior obtinetur suppuratio. Veteres, ut setaceum instituerent, cutim forcipe constrictam candente perforabant ferro in forcipis foramen immisso; nunc mitiùs ab ætatis nostræ Chirurgis eadem perficitur operatio; cutis enim duobus digitis prehensa cultro utrinque secante pertunditur & unà reconditur in vulnere linteolum perforato scalpelli apici innexum. Hujus autem pars latitans, humore conspersa purulento, singulis diebus removetur & resecatur; quæ autem huic continua est, sicca adhuc prioris in locum succedit, donec æger penitùs convalescat.

Non omnes corporis partes fonticulis pariter opportunæ. Cùm locum peculiarem non determinat necessitas, spatia præponuntur inter decussatos musculos vacua, quæ succis abundant & excavata fonticulis motui non obstant musculari. Hinc applicantur cauteria, ut aiunt, potentialia in cervice, in brachiis vel juxta partem deltoïdis infimam, vel deltoïdem inter & bicipitem; hinc etiam in interiore femore propter sinum sub digitis sensilem & in foveâ cruris interni sub genu conspicuâ.

Circa fonticulorum actionem multùm ambigitur. An mediante telâ cellulari nociva materies è vario corporis puncto excita, an bibulis absorpta venis sanguinique permixta per fonticulum tacitè exstillat, quis certò dixerit? Humores eò confertim affluunt, ubi rupto naturâ vel arte æquilibrio fibræ debilitantur Ut celeriùs in metastasibus, sic forsan tardiùs in fonticulis eâdem lege dimoventur liquida. Hæc de fonticulorum actione ac diversis speciebus; nunc morborum, quibus conducunt, expositioni incumbendum.

III.

CUM mobilis quidam humor modò cutem labe suâ inficit, modò in intimas corporis partes sese recipit functiones pessumdaturus, si ea sit hujus indoles, ut per artificiale emunctorium abire non renuat, persistentibus adhucdùm ægri viribus, instituendi sunt fonticuli. Quæ methodus præcipuè adhibenda videtur in scabie, erysipelate, impetiginibus nonnullisque duntaxat morbis chronicis quorum libera ad ambitum corporis eruptio sanitatem, intùs autem resorptio periculum mortemque ipsam infert. His etenim sive externa, sive interna applicentur remedia, perfecta humorum depuratio quandoque non obtinetur; quinimò à prioribus fiunt in viscera refluxus noxii; posteriora ægrotum frustra fatigant. Non rarò occurrunt internæ inflammationes, febres putridæ mali moris, abcessus insanabiles, cephaleæ, hæmoptoæ, Dysenteriæ &c., quæ dictis impuritatibus unguentorum pomatorumve usu repercussis meritò adscribuntur: adeò naturæ votum turbare nefas! Hæc frequens mortis causa tot juvenum Chirurgorum in Nosocomiis, ubi scabies epidemicè grassatur, tot imprudentium ubique hominum, eodem morbo aut analogâ labe affectorum, qui, si fonticulis repercutientium loco usi fuissent ad vitam & sanitatem potuissent revocari. Tale enim humoris genus, experientiâ teste, vel omninò per fonticulos secedit, vel imminutâ effluxûs continui ope ipsius quantitate, nulli parti internæ graviter incumbit. Non idem tamen ab ipsis mutuantur auxilium arthritis ejusque congener (1) rheumatismus,

(1) Vide Thesim amantissi.

licet naturâ ſuâ valdè mobiles, vel quia materies, utriuſque cauſa, ſufficienti non gaudet fluiditate, vel quia nunquam exteriùs ſeſe manifeſtat, cùm alter ſæpiùs ab articulo in articulum, alter à muſculo in muſculum, quandoque in alias partes, nunquam autem ad corporis ſuperficiem migret. Nonnullis, inter quos celeberrimus Tiſſot (2), promptiores viſi ſunt fonticuli ad minuendos Epilepſiæ inſultus. Quæ eâ de re tentata fuerunt experimenta in ægrotantium utilitatem ceſſerunt. Ne mireris. Is enim morbus ſæpè à ſcabiei aliorumque cutaneorum affectuum retroceſſu, ab exhauſtis vetuſtis ulceribus, aut à præpoſterâ febrium intermittentium curatione ducit originem. Aliunde nullum ex fonticulis tunc commodum exurgit, niſi epilepſia adhucdùm adoleſcat eâque laborantes ætate & viribus vigeant. Poſtremò conducunt præcipuè in ophtalmiis infantûm oriundis à ſuccorum redundantiâ, ab his non abſimilium, quibus priore vitæ tempore formantur puſtulæ totum caput inficientes. Celebrandi ſunt fonticuli non quovis morbi ſtadio, non quâvis adhibitâ victûs ratione. Si enim per longam moram invaluerit malum & à regimine dulci, blandè nutriente depurantique deflectatur, nulla ab ipſis ſperanda erit utilitas. Magis autem medentis fallctur expectatio, cùm fonticuli temerè & inconſultò contrà morbos his cedere neſcios inſtituentur.

Coll. Deodati Jeanroy, propugnatam 7 Decembris 1775, cui titulus: *An Arthritidis & rheumatiſmi character idem, eadem curatio?*

(2) Traité ſur l'Epilepſie, par M. Tiſſot.

I V.

QUIDAM fonticulos excitant in morbis à congeſtione lentâ, nimirùm in viſcerum abdominis infarctibus; quidam, cùm, peractâ inflammatione, pus in pectore deliteſcit; quidam in phtiſi confirmatâ, aut ubi tuberculis ſuppurantibus pulmones afficiuntur; plurimi nullam rationem habent morbi cauſarum & pertinaciæ. At triplici conſtat argumento quantùm his in caſibus ægrorum utilitati adverſetur iſta methodus. Primò enim tenacior eſt materies viſcera abdominis obſtruens, ut poſſit extrà corpus pelli per fonticulos immediatâ actione deſtitutos. Quid proderunt fonticuli puri intrà pectus collecto, dùm unica ſpes in expuitione aut in empiemate reponitur? Non magis inſerviunt phtiſi eradicandæ, licet in hâc morbi ſpecie frequentiùs inſtituantur. Nam ad phtiſim prædiſponunt pectus anguſtum, pulmones debiles, ſanguis vitio parentum pravâ diatheſi infectus. Morbum ipſum determinant inflammationes pectoris in ſuppurationem degeneratæ, lues venerea & ſcorbutica, ſcrophulæ aliæque impuritates. At hanc contra duplicem cauſam quàm imbelles fonticuli! Num naturalem immutare conſtitutionem humoremque pectori hærentem abigere valent? Inſuper tunc, depravatis abſolutè fluidis, vires franguntur; indè remedium magis accomodatum foret illud, quod ſanguini ſuam reſtitueret energiam inerteſque fibras exſuſcitaret. Jamverò talis non eſt in fonticulis virtus, qui mechanicâ tantùm vi partes quaſdam debilitant, ut, imminutâ reſiſtentiâ, ingens illùc humorum affluxus advocetur. Deindè ratiocinio conſonat experientia, quâ patet in dictis morbis fonticulos non proſperè ſuccedere. Plurimi enim homines indè magis emaciati citiùs periêre, qui vitam, infelicisſimam quidem, at diuturniorem traxiſſent. Multos cernere eſt, quibus ipſa pars cauterio potentiali ſubjecta in ulcus mali moris & in gangrænam vergit. Nonnullis in ambitum plagæ erumpunt puſtulæ ichoroſæ. Sæpè puris loco materies cruenta ſimul & ſanioſa per fonticulum diffluit. Sæpè etiam ad eum, non dimotis à ſuâ ſede pravis humoribus, ſuccus nutritius appellit. Prætereà ſingulis diebus renovanda ſunt ſplenia, renovandæ deligationes; quod ægrotanti incommodo & defatigationi eſt. Tertiò demùm rem ſuâ opinione ſuâque agendi ratione confirmant complures melioris notæ Medici. Omiſſis enim Hyppocrate, Galeno ejuſque aſſeclis, qui cauterii actualis virtutes, neglecto potentiali, laudibus extollunt, quid recentiores nonnulli circà poſtremum cogitaverint, paucis abſolvendum. Severinus (1) diuturnum fonticulorum uſum vituperat, quia *membra*, inquit, *fonticulis excavata, ſuccis expreſſis deficcantur & lapſu temporis conſumuntur.* Cenſet Lanfrancus (2) fonticulum non ultrà duos aut tres menſes eſſe conſervandum, *ne pars debilitetur, quia boni*

(1) Médecine efficace, par Marc-Aurele Séverin; Pyrotechnie Chirur-

gique 331. *pravique humores unâ per eam viam abeunt.* Mercatus (3) quarumdam mulierum ſterilitatem in fonticulos diutiùs apertos refundit. Quid de Helmontio pluribuſque aliis referam, qui, nimis quidem immoderatè, ideò fonticulos excogitatos fuiſſe affirmant, ut miſeros diſcruciarent ægrotantes? At optimi ætatis noſtræ clinici, artis medendi prudentes, præjudiciis liberi, ritè perpenſis fonticulorum commodis & incommodis, ab iis ſeſe abſtinent, cùm tota humorum moles inquinatur, aut nociva materies ob peculiarem indolem artificiale emunctorium reſpuit, vel denique ubi ægrotantes, morbo in diuturnum protracto tempus, macie & maraſmo conficiuntur.

(2) Lanfranc. tr. 3. Doct. 3. ch. 28.

(3) Livre 3 des maladies des Femmes, chap. 5.

V.

ITAQUE medicina, illa experientiæ filia, cujus ope lapſu temporis genuinæ remediorum virtutes eorumque ad morbos relationes innoteſcunt; improbat frequentiorem uſum fonticulorum, qui caſu detecti aut analogiâ excogitati, nonnullorum inſcitiâ, ſordidâ plerumque lucri cupidine multiplicati, ad quoſdam tantummodò caſus reſervari debent. Ex dictis enim patet quo tempore utiles, quo pernicioſi, quibus congruant morbis. Adhibeantur dum mobilis humor expellendus eſt, non autem in maraſmo incipiente, in depravatis ſuccis & in morbis ab humore lenteſcente. Verùm, inquient plurimi, ad fonticulos confugere licet ubi de cæteris deſperatum eſt. Obſervatur in peſte aliiſque epidemiis eos à communi labe immunes eſſe, qui fonticulorum beneficio fruuntur; veſicantia ſæpè ſæpiùs proſunt, quidni & fonticuli? Quibus ſingulis ſua patet reſponſio. In deſperatis quidem incerta quævis tentanda, ſed nunquam illa remedia, à quibus certum imminet periculum. Satius quippe eſt ab omni medendi ratione ſeſe abſtinere, quàm de vitâ hominis aliquid detrahere. In epidemiis multi ſuam ſalutem ideò fonticulis debuêre; quia non tardiùs, viribus nempè exhauſtis & peractâ humorum depravatione, aperti fuerant. Si veſicantia ſæpè conducunt in morbis, ſæpè etiam nocent. Aliundè non idem eſt utriſque agendi modus. Illa enim celeriùs humorum effluxum determinant, hi verò lentiùs. Veſicantium ſpicula in humores ſeſe inſinuant & languentia vaſa ſuſcitant, fonticuli verò quaſdam partes externas tantùm debilitando univerſale deſtruunt æquilibrium. Hinc priora in acutis morbis, poſteriora in chronicis conveniunt. Tandem veſicantia latiorem cutis ſuperficiem excoriant, ut abundantior excitetur ſuppuratio; fonticuli autem altiùs penetrant & ulcus anguſtum efformant, quia diutiùs perducenda eſt ſuppuratio in morbis, qui œconomiam animalem lentè pervertunt; indè non compar utriuſque remedii actio, nec indè infringitur noſtra ſententia jam ratiocinio, experientiâ Medicorumque authoritate comprobata.

Ergò à frequentiori & inconſulto fonticulorum uſu, malum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus-RAIMOND.

M. Paulus-Gabriel LE PREUX, Scholarum Profeſſor.

M. Petrus-Joſephus MORISOT DESLANDES.

M. Carolus-Nicolaus D'ESLON, Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor deſignatus, Sereniſſimi Comitis Atrebatum Medicus ordinarius.

M. Ludovicus-Claudius GUILBERT, è Societate Medicâ Edimburgenſi, antiquus Regis Exercituum Medicus ordinarius.

M. Henricus-Michael MISSA, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius, antiquus Regis Exercituum in Germaniâ Medicus ordinarius, Cenſor Regius, Academiæ Catalaunenſis Socius.

M. Antonius-Joannes-Baptiſta-Maclovius GUENET, Chirurgiæ Gallico Idiomate Profeſſor deſignatus.

M. Edmundus-Claudius BOURRU.

M. Joannes-Nicolaus MILLIN DE LA COURVEAULT.

Proponebat Pariſiis HENRICUS ALEXANDER TESSIER, Carnutenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Autor, A. R. S. A. 1775, a ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1776.